

# Die Urkunden Karls des Großen, 316

In nomine sancte et individue trinitatis. Divina favente [clemen]tia illustratione super illuminis Karulus Magnus rex Francorum et Longobardorum ac patritius Romanorum et semper augustus. Ut singulorum animos ad fidelitatis nostre [obsequia efficacius invitemus] ac fidelium mentes in fide efficiantur fortiores, merita eo[rum, quos iam]dudum in agendis nostris [et] imperii invenimus et experti sumus omni studio exercitatos, honoribus et regiis beneficiis consuevimus promovere. Inter quos nostrum fidelem et familiarem Friderichum comitem palatinum cum fratribus suis scilicet Ugolino, Branda[licio, Ubrandino], Lancelocho, Namerio, Barthelocho, Lodoyco et Guilelmo comitibus filis ... comitis palatini nepotis nostri, in Lombardia de Ripa ins[ule] et Bardine, imperio fideles, nostre magiestatis devotos recognoscentes et omnimodo obsequiosos, adtententes suis suorumque fratrum laudabilibus ac fidelibus studiis singula queque n[ostra et imperii] agenda inantea de bono in melius debere provenire, de consuetudine ben[evolentie] nostre largitate [sibi] et dictis fratribus suis tamquam benemeritis regia volentes respondere recompensatione damus eis et filiis liberis heredibus eorum in perpetuum atque concedimus dictam civitatem Bardine et insulam Fulgeriam et quartam partem totius civitatis Verone et flumen Paudi et Iolis usque ad portum Cavenarum cum omnibus iuris[dictio]nibus suis placitis f[ic]tis pratis campanetis pascuis vallibus paludibus pescationibus venationibus fluminibus molendinis aquis aquimolis pedagiis monetis et omnibus aliis iurisdictionibus suis quoquo modo in d[icti]s civitatibus et [earum] districtibus ad nostram sive imperii iurisdictionem pertinentibus ad habendum tenendum possi[den]dum, fidelitates et omaggia recipiendum et ad omnia faciendum que ipsis placuerint, sine nostra nostrorumque successorum molestia vel contradictione non obstantibus aliquibus licteris sive publicis instrumentis a nostra regia serenitate impetratis. Et etiam damus eis et [fi]liis suis liberis heredibus in perpetuum ac concedimns iure honorabilis feudi et investitu[re] facultatem ac liberam potestatem ordinandi et faciendi filios legiptimos, qui non sunt legiptimi, et filios adopt[iv]os et iudices ordinarios et notarios et etiam accipere et eluere et extrahere duos homines condempnatos in persona et in pecunia de banno et [carcer]ibus cuiuslibet communis, civitatis vol castri ad voluntatem suorum heredum sine contradictione vel molestatione alicuius persone, ubicumque fuerint per totum Romanum imperium, sine nostra nostrorumque successorum vel aliquarum personarum contradictione lege aliqua non obstante et illa precipue, que legiptimari spurios nisi ex certa scientia non permictit, itaque quoscumque fecerint, possint succedere hereditati patris et omni alii suo iuri tamquam veri et legiptimi cives Romani et omnia officia [et] iudicatus et acta publica contractus conscribere atque confidere et omnia facere et ex[er]ce[re], que ad ipsum tabellionatus et iudicatus officia de iure pertinere noscuntur, in quacunque parte fuerint imperii memorati, sicut a nobis sive nostra largitate [dicta] officia obtinerent, ut de penna et calamario et iudicatu possint et valeant investire eosdem, et a nostra curia, ubicunque fuerint, in victu et vestitu et [nutrim]ento al[imon]ias pro se suisque servitoribus et [equis], quotienscumque sibi placuerint, condiguis et sufficientibus accipere et quadraginta marcas boni et fini argenti omni anno pro adjuncta feudi suprascripti. Statuentes et firmiter precipientes, ne aliqua omnimodo persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis hanc nostre concessionis et confir[mationis formam] infringere vel ei ausu temerario debeat contraire; quod qui facere adtentaverit aut aliquo modo contravenire presumpserit, mille libras puri auri componat, medietatem ca[mere nostre aliamque] medietatem iniuriam passis soluturus. Ad cuius rei certam evidentiam, robur

atque memoriam hoc scriptum privilegium eis i[ndulsimus au]rea bulla nostre magiestatis  
communitum. Qui predicti comites palatini Frederichus, Ugolinus, Brandalixius,  
Ubrandinus, Lanceloctus, Namerius, Bartholoctus, Lodoycus et Guillelmus dicto domino  
Karulo Magno regi iuraverunt fidelitatem contra omnem hominem de mundo excepto  
dominum papam et ecclesiam Romanam, secundum quod in capitulis fidelitatis [in  
om]nibus et per [omnia] continetur, corporaliter ab ipso prestito sacramento eidem delato  
per Greppinum archiepiscopum imperialis aule. Huius rei testes sunt Gherinnus de  
Ardenna, Octo Daloreus, Nam.. ueria, Riccardus de Vienna, Ganus de Scotia, Ramerius de  
Cenobra, Danixius Vccorius.

Signum manus Karuli invictissimi regis [Francorum et Langobardorum].

Datum per manus dompni He[no]aldi archicancellarii anno tertio patriciatus Karuli,  
indictione decima; Ravenne in curia palatii Theodorici regis.